



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Diuites à Deo inanes dimitti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

C A P V T X V I I .

Quam prodigiosa liberalitate Deus seruis suis, maximeq; Religiosis prouideat, tempore necessitatis?

Dictores, vt lucidis coloribus gratiam addant, eosque faciant eminentius clarescere, illos colores iuxta ponunt, qui habent obscuritatem. Ita Deus inimicos suos, in ipsa copia, subinde penuria affligit, vt cura illius & amor tantò fiat illustrior, quando paternè prospicit amicis. Auaris, & voluptuarijs, ventremque magis, quàm Numen curantibus ita minatur. *Decem iugura vinearum facient lagunculam vnã, & triginta modij sementis facient modios tres: Vã qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsq; ad vespèram, vt vino estuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiujs vestris: & opus Domini non respiciitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit.* His etiam in Psalmo prædicitur. *Et famem patientur, vt canes.* Nam, etsi sint diuites, etsi abundant, tamen potest eos diuina vindicta ad incitas redigere; & è Croësis Iros facere. Quin multi, præ avaritia, quò plus habent, minùs audent comedere aut bibere, malunt enim stomachum, quàm loculum inanem circumferre. Quin & illi ipsi, qui in vino & epulis commorantur, nunquam gulam ingluuiemque suam explent. Quò vina plus bibuntur, plus sitiuntur. Hinc helluones, hinc gurgites vocantur; hinc, tanquam canes importuni, semper mensas allatrant alienas, vmbra non conuiuæ; nec focij, sed parasiti; ollares amici, non ad aram, sed ad mensam venire parati.

I.

Isa. 5. 10.

Pf. 58. 7.

Aliter agit cum seruis suis Deus; qui non affliget fame animam iusti. Cui, apud Iob, dicitur: *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij. A flagello lingue absconderis, & non timebis calamitatem cum venerit. In vastitate & fame ridebis, & bestias terre non formidabis.* Hoc est, quod dicitur: *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Vt eruat a morte animas eorum: & alat eos in fame.* Ac rursus: *Novit Dominus dies immaculatum: & hereditas eorum in aeternum erit. Non confundentur.*

II.

PROV. 10. 3.

Iob. 5. 20.

Pf. 3. 2. 18.

Pf. 36. 18.

confun-